DEO OPT. MAX. ET TRINO, VIRG. DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO

QVÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIX. IANVARII.

M. CLAVDIO DE QVANTEAL Doctore Medico, Præside.

An octimestris partus, vitalis?

DE generis humani conservatione, natura fuit adeò sollicita, ut hominibus continuò suam propagandi speciem, & hoc modo quamdam æternitatis umbram assequendi, stimulos inseverit. De animantibus verò, tanta non fuit illius cura, quibus certa duntaxat se miscendi, sic pariendi tempora præscripsit. Cervi uno mense Octobri libidinantur, & per annum integrum utero gerunt: canes, feles, & ursi, quatuor ferè mensibus; Turtures singulis, pariunt: Elephas apud quosdam duobus annis, apud alios, mensibus octodecim, alios verò decem annis, prægnans est: sed hominum partûs, nec certi, nec definiti sunt termini, cùm aliquandò septimò, aliàs octavo, nono, & decimo parturiant: bruta verò ut periodicè feruntur in venerem, sic statis legibus excludunt; horum, ut & hominum partus, fœtus est perfecti, & numeris omnibus absoluti, matura extra uterum ejectio, quæ minimè naturalis audit, si fiat ante septimum mensem: fœtus enim cum priùs egreditur, vitalis non est, nec dulci hærede beat parentes, cùm in ipsâ nativitate tumuletur. Septimum itaque natura primum mensem elegit, quo vitalem fœtum ederet; nec tamen necesse est, ut penitùs absolvatur, aliquando enim initio, nonnumquam medio, tum in fine, fœtus foras exit; menses autem quibus præscribuntur partus, sol suo cursu metitur.

QUAMDIU fœtus latitat in utero, continuò crescit, & augetur, donec justam, & concinnam corporis magnitudinem adeptus sit, & membrorum omnium fuerit articulatione firmatus: tunc temporis majori indiget alimentorum copiâ, ad triplicis substantiæ restaurationem, cujus jacturam patitur etiam in utero; calor enim, (primum, quo natura functiones suas exerit instrumentum) vegetior factus, per humidi consumptionem, quo penè obruebatur, plus humidi nativi, vorat, & depascitur, quàm sanguine materno possit resarciri; idem calor majori adhuc eget refrigerio, & ventilatione, quam tot membranis involutus, & quasi sepultus in utero, fœtus transpiratione, queat adipisci. Ad hæc uterus, grandioris fœtûs pondere fatigatus, nec amplioris distentionis capax, onus jam jam importunum, totis viribus ejicere conatur. Hæ sunt veræ, & genuinæ partûs causæ, quibus simul agentibus, fœtus ad uteri cervicem devolvitur in caput, & à tenebricoso, quo detinebatur carcere, liber evadit, qui si cunctis suis partibus instructus sit, par est ut hujusce lucis usurâ fruatur, quod si priùs elabatur, partum nominare non licet, sed abortum, sicut & cum genitura ante conformationem ullam diffluit, nec partus, nec abortus, sed effluxus apppellatur.

ACCURATA & exactâ artuum omnium structurâ, fœtum mense octavo exornari posse, liquidò constat, cum initio septimi, ut plurimùm illâ decoretur, sed antequam hanc perfectionem consequatur, varias in utero subit mutationes, variaque sortitur nomina; cum enim semina tùm maris, tùm fœminæ, simul permixta sunt, prima eorum alteratio, γονὴ nuncupatur. Cùm verò rudem partium adumbrationem expertus est, κύημα vocant, depicta spermaticarum partium imago, ἔμβρυον, & tandem membrorum omnium effìcta delineatio, παιδίον nuncupatur. Hæc omnia non eodem tempore perficiuntur in fœminis, ac in maribus, in his siquidem (ut aiunt) circa trigesimum diem, totum mirandum hoc opus peractum est; in illis verò, circa quadragesimum; in suo etiam vlteriori complemento, dispari sorte gaudent: mares trino mense, fœminæ quarto, motiones efficiunt; reliquo gestationis spatio, majus capiunt incrementum, & in dies novas acquirunt vires, donec ad eum statum pervenerint, quo vberiori ipsis opus est alimento, aërem liberaliorem expostulant, atque uterum nimiâ suâ mole convellunt, tunc hora partûs adest ipsa, quæ si in octavum mensem inciderit, nihil repugnat.

SUA habet præscripta partûs tempora octavus mensis, ut & alij, vitalis prolis feraces, sicut enim in cujuslibet generis arboribus, non simul maturescunt fructus, quorum flores simul fuerint expansi, ità in animalium generatione (hominum præsertim, ob anormem vitæ methodum) fœminæ, quæ unâ die conceperunt, non eâdem parturiunt, quædam enim septimo, aliæ octavo aliæ demùm nono, &c. ob diversam seminis energiam, variamque matris temperiem, nec est ulla ratio, cur octavus mensis, septimum inter & nonum medius, feralis sit, & fatali quâdam necessitate, eos, quibus dat lucem, deplorando haud fatis infortunio iugulet, nono verò & septimo natos, quasi meliori luto fictos, natura blandiùs excipiat, foveat, & vitam illis largiatur, quam aliis denegavit? Oh miseram eorum sortem, quorum vita mors est, & ortus, interitus. Nec compertum est, maximos conatus, quos septimo mense ad exitum sibi parandum, tentaverunt, eorum vires eò prostravisse, ut si mense sequenti nascantur, intereant necesse sit: neque enim, tam violento motu cientur (referentibus ipsismet gravidis,) ut tanto egeant temporis intervallo, ad vitium instaurationem, cùm à septimo, ad partum, longè majori impetu, se se quatiant & volutent.

NONI mensis initium, sexûs fœminei, quam plurimis fœtibus, vitam impertit, quidni octavo mense editi, vitales erunt? Illi enim fœminis citiùs efformantur, moventur & perficiuntur; sic quoque ociùs lucem subibunt, natura siquidem quantum potest, ad intentum finem properat, & cum hominem, octavo mense absolvere, cunctisque suis dotibus insignire queat, statim atque illum peregit, ejus exitum diutiùs retardare nequit, & ad aliud tempus differre. Porrò ut nihil est magis stupendum, & fidem omnem superans, quam hominis conformatio, cum imis visceribus perficiatur, & oculorum obtutum effugiat, sic momento, quo tantum opus natura suscipit, nihil abstrusius, magisque reconditum; de quo sexcentæ gravidæ, malè calculum posuerunt, deceptasque fuisse innotuit; inde necessariò eruendum, ratum non esse, nec fixum motûs & partûs diem, multasque fœminas, octavo mense peperisse, quæ nono se enixas fuisse putaverunt. Natura sagax multùm & provida, num in ejus conformatione ita strenuè laborasset, qui statim cum morte vitam esset commutaturus? Tanta adhuc non est cœli nostri inclementia, ut octo mensium fœtui, vitam eripiat, quam eidem concedit in Ægypto: tandem, si mammis uberrimo & elaborato lacte distentis (ut sæpiùs accidit octavo mense) perfectum esse fœtum & partum imminere conjicimus, quidni eodem mense natum longævum fore asseremus.

Ergo octimestris partus, vitalis?

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dionysius Dodart.
M. Dionysius Puylon, Accademiæ Censor.
M. Ioannes Baptista de Revelois.
M. Edmundus Charrier.
M. Raphael Maurin.
M. Ludovicus Galais, Scholarum Professor.
M. Ioannes Forestier.
M. Petrus de Mersenne.
M. Ioannes Garbe.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS AFFORTY, Parisiensis, A. R. S. H. 1673.